

5

§. 6. Nunc aliquis cum Cassio, quem Cicero *in Orat. in M. Anton. Philippica* 2. c. 6. laudat, quærere posset; CUI BONO? cui respondeo; Experimenti hujus leviculi insignem esse usum, quem admodum ex sequentibus patebit. Ut autem, quæ proferenda sunt, evidentiora & magis perspicua fiant, aliquot proponendæ & mathematicè resolvendæ erunt quæstiones, quarum

I. Quæstio.

Quanam dulcedinis hujus sit causa?

Duas dare possumus causas, quarum

1. Aquæ compressio, simulque particularum salinarum expressio.

2. Salis gravitas, ob quam sponte fundum petit.

§. 1.

Ad priorem quod attinet, certum est, aërem quidem ob vim elasticam non tantum frigore, sed etiam machinis comprimi posse. Longè alia autem aquæ est natura, quæ machinis minimè, frigore autem facillime comprimi, calore verò attenuari potest.

§. 2. Videmus etiam præcipuè autumnali tempore aquam marinam remis vel baculis, aut ventis agitatum noctu scintillare & lucere, cujus causam esse particularum salinarum excussionem cum Cartesio *Meteororum cap. 2. n. 9.* ponimus.

§. 3. Quod autem melius tempore autumnali, quam hyberno aut æstivo hæc maris scintillatio observetur, ideo fieri puto, quia tempore æstivo aqua marina laxior, nec tam facile particulas salis dimittat, nisi agitatio sit vehementissima, uti in Zona torrida procellarum & tempestatum rabiem experti testantur. Hyberno tempore aqua marina superior salium particulis destituta percussantis conatum eludit. Circa autumnum autem ob imminens frigus comprimitur aqua marina, & accedente alio impetu particulæ salinæ facilius exprimuntur: si verò frigus augeatur ita, ut aqua congelet, omne sal expellitur.

§. 4. Præterea aliquando me videre memini, lapidem mari injectum lucem tantam produxisse, ut distinctissime illa, quæ in fundo jacebant, tempore nocturno videre & agnoscere possem.

A 3

§. 5. Ur.